

Abt Maurus Xaverius von Plankstetten. Totenrotel und Grabschrift.

Mitgeteilt von P. Johannes Maria Pfättisch, O. S. B. in Ettal.

Im Folgenden bringen wir die bereits im vorigen Jahrgang S. 882 (vgl. auch S. 849) angekündigte Totenrotel des im Rufe hoher Heiligkeit verstorbenen Abtes Maurus Xaverius von Plankstetten, sowie die herrliche Grabschrift, die in Kürze sein tugendreiches Leben erzählt.

I.

Zelus domus tuae comedit me.

Ps. 68.

Si templum dicitur, in quo Deus inhabitat, ut docet D. Aug. in Jo., triplicem profecto existere in terris domum Dei necessum est, materialem, quo nomine oratorium publica Episcopi autoritate erectum accipimus: mysticam alteram eamque bipartitam, quam Illustratissimus Hyponensium Antistes indigitat, dum ait ad mentem Apostoli 1. Cor. 3. Omnes simul unum et singuli singula templa sumus, non est Deus in omnibus quam in singulis maior. Quae verba cum collectionem dicant atque distributionem, collectione comprehendimus proximum, distributione nostrummet unumquemque. Habemus igitur trinam, quam colamus, Domini domum in terris, habemus et proponimus ferventissimum trini huius templi cultorem Reverendissimum Perillustrem ac Amplissimum D.D. Maurum, Monasterii nostri Abbatem ac Patrem aeterno dignissimum amore, quem zelo magis trinae domus Domini devoratum quam atroci libithinae furore raptum fuisse suspicamur, ita, ut optimo ingeminare potuerit iure illud Psaltis Regii: Zelus domus tuae comedit me. Nimum si affirmare videretur Vobis, Colendissimi DD. Confoederati!, aut debito tantum in Patrem filiorum indulgete amoris aut substrata, quae supremo tacturi sumus acu, argumenta libenter percipite: atque praeprimis curam illam, qua seipsum in Dei structuram excoluit, audite. Singuli singula templa sumus.

Pleinfeldii, Dioecesis Eystettensis oppido, lucem aspexit primo lumen nostrum 1701. 14. Sept. ipsa nempe exaltatae S. Crucis festivitate, futurae ad Crucem Abbatialem exaltationis praesaga. Hausit in sacro Baptismi (quo templum Dei fiebat) fonte Friderici nomen. Probe exin educatum nobiles pique parentes Neoburgum pro addiscendis liberalibus ablegarunt eo successu, ut moribus, ingenio ac probitate iuxta nomen patrium Hoerbst omnibus apparuerit maturus vir in adolescentia. Postea in Coenobium nostrum admissus peracto probationis anno solemniter vota 1720. 11. Novembris, Maurus appellatus. Mirum, quo virtutum candore Maurus noster coluerit animum Deo sacratum,

mirum, quo ardore semet zelaverit ipsum custos domus Dei fidelis; dignus profecto, qui vix emenso Theologiae curriculo Regali adscriberetur Sacerdotio, cuius praecipuum ad aram munus obiit 23. April. 1726. Verumtamen turpe esse ratus, si in sancto hoc munere viveret non sanctus, ea explere conatus est, quae sanctis opinabatur esse propria. Hinc fabricam spiritualis exstructurus celsitudinis mature de fundamento cogitavit humilitatis; quod quidem fodit altissime, lignonem palamque subministrante assidua sui ipsius cognitione. Qua in arte profecit ita, ut nihil unquam de se senserit boni, aut, si boni quid advertebat, idemmet studiosa occultaverit anxietate.

Fundamento humilitatis primum imposuit lapidem obedientiam, promptam, hilarem et caecam. Hinc semper subesse praeroptans, nihil aegrius tulit electione in Abbatem 24. Sept. 1742 facta. Vidimus ibi humi prostratum, lacrimis superfusum, atque e genibus per omnia Sancta deprecantem aversantemque onus honoris oblatis, quod tandem difficillime in se suscepit ex obedientia. Quam deinceps firmiter adeo infixam tenuit pectori, ut communi monasterii Regulae, quantum per negotia densissima licuit, subiacerit constanter. Itaque silentium atque solitudinem, ubi orationi tam vocali quam mentali vacabat intensissime, custodivit sanctissime: caetera contemplator ex re quacunque obviam eximius. Accessit tenerrimus Caelitum cultus, B. V. Mariae Dolorosae praesertim, et Sancti Indiarum Apostoli Francisci Xaverii, cuius ut zelum imitabatur, ita et nomen prae se ferre gaudebat, innocenti animi teneritudine et sancta (cui maxime studebat) simplicitate ducibus. Puritatis, seu corporis illam, sive animae spectare lubeat, adeo fuit studiosus, ut nulla unquam per omnem vitam labe gravi commaculaverit gratiam Baptismi: specialibus inde a supremo puritatis sponso ditatus luminibus. Verumtamen semper se hominem eumque fragilem considerans, nihil carni, nihil indulisit corpori, cui tam in vestitu (gaudebat enim salva honestate vilioribus) quam in victu detrahebat et potu. Hinc prophetam imitatus panem cum cinere, quo cibos condiebat, potum vero miscebat cum fletu, non illo quidem oculorum, sed intimae atque assiduae compunctionis. Somnum praeveniebat flagellationibus cruentis, quas tamen interdicante Confessario dimisit promptissime. Ipsum somnum impediabat quodam doloris instrumento, crucis formam praeferente, semidigitalibus cutem versus armato aculeis, atque supra pectus itemque inter scapulas pendulo. Ne vero activae tantummodo arbitremini studiosum patientiae, et passivae contestamur habuisse exercitium Frigus et calorem, pluvias et siccitatem, grandines et tempestates eodem, quo amoena, aspexit oculo. Hominum dicteria, honorem etiam ac famam irritantia, imo atroces quorundam iniurias suscepit tulitque gaudenter

aeque ac libenter; parum contentus, si zelus domus Domini comederet ipsum, ni et opprobria exprobrantium caderent in eum. His quidem aliisque animam suam in supremi Numinis excoluit habitaculum ornamentis virtutum, quarum potiores actus profunda texit humilitas. Pergimus itaque Maurum alterius domus Dei, Ecclesiae nempe ac domus sibi commissae ostensuri zelotem.

Sensit cum D. Bernardo sapiens antistes primum praecipuumque, quo Monasterium regi debeat, esse disciplinam regularem. Hinc eidem invigilavit summopere, ipse praelucens exemplo fervoris, modestiae, humilitatis et charitatis. Defectus suorum etiam levissimos correxit cito, principiis obstandum esse ratus. In ipsa autem correctione tantam adhibuit comitatem, lenitatem, ac mansuetudinem, ut delinquenti videretur esse similior quam corrigenti: illud magni Genevensis ascetae, S. Francisci Salesii in ore circumferens: Malim iudicari de misericordia quam de rigore. Verumtamen non probis tantummodo ac disciplinatis, sed etiam eruditis et doctis instructam volebat esse domum sibi commissam viris. Hinc non paucos ad publicas ablegavit universitates, ut theologiae iuriumque ibi addicerent enodare difficultates; dum interim ipse domi bibliothecam auxit libris praestantissimis ac pretiosissimis, S. Scripturae praesertim, ac iurium interpretibus, ipse iurium domus suae defensor acerrimus ac imperterritus. Hospitalitatem ex mente SSmi Legislatoris nostri Benedictinis propriam ita coluit, ut hospitibus (illis praecipue, qui domestici fidei eiusdemque nobiscum conversationis erant) non tantum nihil defuerit, sed omnia pro modulo ac posse nostro abundaverint. Aedificiis insuper prospexit necessitati, non luxui, dum novum murum, cellamque condidit vinariam, atque hortum monasterio adiacentem meliorem, amplioremque redegit in ordinem. Ipsum, cuius praecipua illi erat cura, templum novis decoravit scamnis et fenestris, itemque novo B. V. Mariae Matris Dolorosae sacello. Quid? quod et Chorum animaverit organo praestantissimo, turrimque ecclesiae geminam, scandulis antehac tectam lateritiis, vestiverit bactea. Ne vero ornatus templo deficeret internus, pluribus, ut loquimur, paramentis eidem providit, duabus praecipue vestibus pontificalibus, argento altera, altera auro rigida. Binam item SS. Eucharistiae Sacramento, itemque binam S. Crucis (de cuius pretiosissimo ligno binas distinctas et insignes adoramus particulas) ex auro, argento et gemmis confici curavit thecas; plura praestiturus, ni reditus monasterii pluralitate caruissent. Interea tamen cultura domum Dei instruxit spirituali adeoque sacratori, dum magnis eandem Privilegiis atque Indulgentiis a moderno SS. Domino Nostro Papa Benedicto XIV. clementissime concessis auxit atque insuper Sanctorum reliquiis et duobus integris SS. Martyrum corporibus, Roma advectis, locupletavit. Haec et alia plura fecit

zelosus Domini domus curator, expensa magna pecuniarum vi non satur, ipse prius desiderio zeloque devorandus ampliandae eiusdem. Sed alia, eaque tertia, quam zelavit Maurus noster ferventissimus, superest Dei domus in terris, illa nempe de qua Apostolus 1. Cor. 3.: Templum Dei estis vos, et Augustinus: Omnes simul unum templum sumus. Proximum, ut supra diximus, intelligimus. Audite Colendissimi DD. Confoederati, quae dicere atque effari licet tacentibus ea, quae mira ac portentosa, imo sapientulis exotica videri possent.

Quantum desudavit in colendo ac exornando hoc Dei templo Maurus noster, quem tota vicinia, imo loca etiam longe dissita ipsam esse charitatem declamabant! nec vane; Deus enim charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. E radice huius charitatis excrevit ingens misericordiae visceralis arbor, in duos iuxta Theologorum praeceptum divisa surculos, quorum unus corporalium, alter spiritualium progerminavit operum fructus in paucis multiplicatos. Testantur id pauperum egenorumque phalanges, paupertatis amatorem cingentes liberalissimum, qui solita non contentus eleemosynae elargitione calceos quoque exiit deditque egenti, ipse nudipes ad abbatiam redux, Benedictinus praeter ordinis consuetudinem discalceatus. Cibos potumque ori suo negatos misit ad infirmos et male habentes. Pauperes adhibuit mensae abbatiali, quibus ipse linteo praecinctus inseruiit; et quidem in vigilia Nativitatis 12 parvulis, in Coena autem Domini 12 viris, ipse interim tota die ieiunus. Ad infirmos non minor se extendebat cura: hos quippe frequenter visitavit eisdemque solatia corporis ac spiritus attulit, imo non paucos eorum, maleficatorum praesertim, praevia exomologesi dispositorum, solo S. Crucis signo integrae restituit sanitati. Opera misericordiae spiritualia non minora corporalibus, sed tam numero quam dignitate erant maiora. Antequam ad abbatiam vocaretur, parochiae nostrae operatorem egit omnibus absolutum numeris, 16*) circiter annis. Mirum, qua mansuetudine litigantium composuerit animos, qua longanimitate dura pertulerit erudieritque ingenia, qua discretione malos ad frugem, bonos perduxerit ad salutem. Neque ab isto cessavit fervore Abbas factus, quin auxit potius. Peccatores inveteratos aliisque desperatos, qui ipsi advehebantur, convertit: Confessiones tam in abbatia quam in publico excepit templo frequentissime: neminem a se dimisit desolatum, omnibus factus omnia, ut Christum lucrifaceret et Christo. Verbum Dei praedicavit incessanter, praesertim ubi materia de passione occurrit Dominica, quam tanta proposuit emphasi eaque virium intensione,

*) in rotula »19 circiter annis«, quod erratum typographicum cum in oratione unebri tam in biographiis repetitum est.

ut nunquam absque sudore fauciumque raucedine descenderit e suggestu. Effectum ut haberet concionum suarum certiozem, devotionem erga patientem Jesum instituit publicam, quam viam S. Crucis appellamus, et quidem in singulis nostri patronatus ecclesiis, parochialibus aequae ac earundem filialibus: methodum vero huius S. viae stationes sancte et fructuose obeundi docuit ipse populum. Ipse item crucem praefereus litanias ducebat publicas magnaue parvulorum minorennium (seclusos enim volebat esse adultiores) stipatus caterva pluvias a sicco efflagitabat caelo. Verum ad haereticos quoque atque apostatas respexit zelus pastoris insatiabilis, quos, licet de ovili non essent suo, ad gregem tamen reducere conatus est Pastoris summi ita benedicens servi sui laboribus, ut aliqui eorundem redierint, alii vero non nisi anxii de veritate perstiterint. Paucis ut comprehendamus omnia, totum quantum se dedit proximo, quem, ut a morte liberaret, semetipsum exinanivit et tradidit in mortem. Cum enim grandi quodam proximum iuvandi occupatus esset negotio, ipsi charitatis operi, feбри maligna putrida correptus, immortalis est, exitus sui longo abhinc tempore praescius, 4. April. currentis anni, postquam vixit homo ultra 55, Religiosus 36, Sacerdos nondum 31, Abbas vero, heu tantum! 14 annos et aliquot menses. Victima revera charitatis, zelo domus Domini devorata. Zelus domus tuae comedit me.

Ad Vos iam, Col. DD. Confoederati, noster dirigitur sermo, Vestrum est consolari moestos, Vestrum erigere afflictos, Vestrum denique iuvare purgantem, si non proprias, fors tamen alienas maculas, Reverendissimum Patrem nostrum. Habebitis ad eadem nos obsequia promptissimos. Orate, valete. Dabamus Blanckstadii ipso obitus die 1757.

Reverendissimae, Perill. ac Amplissimae Dominationis
Vestrae nec non singulorum Pl. RR. RR. DD. Patrum ac
Fratrum, Colendissimorum Confoederatorum nostrorum.

Ex foedere devinctissimi

P. Damascenus Waller, p. t. Prior,

Et Conventus viduatus.

II.

Hic iacet,

Qui stetit, dum vixit,

Cum dolorosa crucifixi Amoris sui matre
sub Cruce,

Crucis ipse filius et amoris

Maurus

Pater et Abbas noster XLVI^{us},
Qui mundo crucifixus et carni
alio vix genere mortis
quam caritate vivifica
Dei et Proximi
absorptus
Legem implevit Numinis
Naturae solvit
IV. April. MDCCLVII
aet. 56. Reg. 15.
R. I. P.

Eine Geistergeschichte.

Beitrag zur Cistercienser-Chronik.

Mitteilung von Dr. P. Maurus Kinter O. S. B., Stiftsbibliothekar und Archivar
in Raigern.

Additamentum genuinum ad historiam levati Monasterii Fontis
B. V. M. ad Zaram¹⁾ Ord. Cisterciensis in Moravia, pro confir-
manda hac veritate prolatarum a Spiritibus vocum Cedite
nostris, et ab inhabitantibus Zarae Rdis. PP. Franciscanis au-
ditarum, ne a Criticis moderni Saeculi in dubium vertatur, aut
penitus rejiciatur, notatu dignum censui.

Ao. 1745 dum recenter post Professionem religiosam in
Junioratu extitisssem, mihiq;e aliquis labor conficiendus in Collo-
cutorio a meo R. P. Magistro Erasmo Grünwald pro tunc desi-
gnatus fuisset, paulo post venit illic Venerabilis P. Paulus

¹⁾ Diese ehemalige Cistercienserabtei Saar auch »Maria Brunn« (Fons
Mariae) genannt, wurde 1240 gegründet, war vorübergehend vom 7. Sept. 1611
bis zum 28. Febr. 1639 im Besitze der Franziskaner und wurde als Cistercienser-
kloster am 22. Oktober 1784 aufgehoben. Der letzte Abt war der vielseitig
literarisch tätige Otto Steinbach von Kranichstein, welcher 1791 in Wien ge-
storben sein soll. Bei »Janaschek, Origines« I, S. 248 findet sich die ganze
bezügliche Literatur genau verzeichnet. Ebenso eine kurze geschichtliche Skizze
in Wolnys »Kirchliche Topographie von Mähren«, Brünnener Diözese, 2. Band.
S. 402. Die vorliegende, hier wörtlich abgedruckte Mitteilung erliegt im Orig.
im Archive des Stiftes Raigern. Erwähnt wird diese, allerdings mit Recht an-
zuzweifelnde, Tatsache bloß bei O. Steinbach, »Diplomatische Sammlung historischer
Merkwürdigkeiten aus dem Archive des gräflichen Cistercienser-Stiftes Saar in
Mähren«, Wien, Schönfeld 1783. S. 268; sowie in Aug. Sartoris »Cistercium,
Bistertium« S. 1044, an beiden Stellen jedoch als nicht beglaubigte Gespenster-
geschichte. Immerhin verdient diese interessante Begebenheit nach der Erzählung
eines Augenzeugen der Vergessenheit entrissen zu werden und das allein war
der Grund, weshalb wir sie hier veröffentlichen.